School of Theology at Claremont
1001 1374780

The Library
SCHOOL OF THEOLOGY
AT CLAREMONT

WEST FOOTHILL AT COLLEGE AVENUE
CLAREMONT, CALIFORNIA

SPICILEGIVM PALIMPSESTORVM I.

SPICILEGIVM PALIMPSESTORVM

ARTE PHOTOGRAPHICA PARATVM
PER S. BENEDICTI MONACHOS
ARCHIABBATIAE BEVRONENSIS

VOLVMEN I.

(QVAE A IVRE SVNT RESERVANTVR. — CVM SVPERIORVM PERMISSV.)

BS
1504
L3
M3
1913

CODEX SANGALLENSIS 193

CONTINENS FRAGMENTA PLVRIVM PROPHETARVM SECVNDVM TRANSLATIONEM S. HIERONYMI



BEVRONAE · MCMXIII
LIPSIAE PROSTAT APVD
O. HARRASSOWITZ

NOMINI · HONORI
SANCTI · BENEDICTI · NVRSINI
PIAE · GRATAEQ · MEMORIAE
MAVRI · WOLTER · ARCHIABBATIS
ET · LEOPOLDI · DELISLE

PRAEFATIO

ERIT secundum normam instituti nostri consilio peritorum conceptam brevissima. Ut in singulari folio germanice scripto atque praeterito mense decembri pervulgato signavimus, modesta huius Spicilegii series potius contendit agellum excolendum eruditis offerre quam fructus. Ad ectypa scripturae, quae servant archetypi modulum, verbis si supersederi nequit, parci saltem potest.

De Codice Sangallensi 193.

Hunc liberalitate R. mi D. Dr. A. Faeh diu commodeque perquirere sicut et luce repraesentare licuit. Ex multis, quae videre, colligere, scrutari contingebat, pauca proferantur, et quidem primum de recentiore codice et scriptura (= Cod. Sangall. 193 R seu rescriptus.)

1. *De huius codicis forma, statu, compositione, etc.* — Est formae in 8⁰ min. habens altitudinis 205 mm, latitud. 133 mm. Haec mensura foliorum; hinc inde aliquot millimetris variat. Modulus tegumenti 210 × 135 mm, quod constat valde crassis asseribus (7 mm) et obducto corio griseo. Secundum G. Scherrer, *Verzeichniss der Handschriften der Stiftsbibliothek von St. Gallen (Halle 1875)*, pag. 71 et 471, hoc est primum huius cod. tegumentum et simul antiquissimum. In cuius dorso primus titulus magnis litteris capitalibus rusticis scriptus (saec. IX?) adhuc legitur duabus saltem litteris coopertis: OMELIE CE//RII. Codex est membranaceus; membrana modo tenuis, modo paulo pinguior; modo adhuc satis clara, plerumque tamen, ut saepe in palimpsestis, sordida. Numeratae sunt a quodam recentioris aevi paginae (membranae) 303, qui per errorem numerum 200 omisit. Ante pag. 1 invenitur notitia de hoc codice, quam scriptura prodit esse Ildefonsi von Arx. Dimidium folium lacerum (= pag. 304 in nostris photographis) agglutinatum est interiori lateri posterioris operculi.

Mensura membranae quatenus perscriptae variat; usque ad pag. 160 communiter 167 × 95 mm; a pag. 164 deinceps mensura magis vacillat: 180 × 115 mm, etc. Videntur lineae praeductae tum verticales ad margines tum transversae; harum sunt 19 usque ad pag. 160 in qualibet pagina; 20 vero a pag. 164—178; 21 ex. gr. a pag. 179—291. Plura docent ipsae tabulae.

Maior codicis pars per quaterniones dispertita est. Quaternionum seu fasciculorum notae inveniuntur in medio margine imo: *pag. 16* (*a* positum forte a manu secunda posteriore); *pag. 32* (iterum *a*); *pag. 48*; *pag. 60* (pag. 49—60 = ternio irregularis, nam in formando novo hoc codice ex prisco tum inter pag. 52/53 tum inter pag. 54/55 dimidium folium excisum est); *pag. 77*; *pag. 92* (nota rubra); *pag. 108* (nota rubra); *pag. 126* (nota rubra paene evanuit; pag. 109—126 = Quinio mancus: dimidium namque folium antepenultimum excisum est); *pag. 142* (n. rub.); *pag. 154* (nota rubra dextrorsum; pag. 143—154 = ternio, quam sequitur binio mancus, i. e. pag. 155—160, primum enim folium dimidium recisum est, et deinde folium nunc sine pare, i. e. pag. 161/162. A pag. 163—291 habentur 8 quaterniones, sed sine notis quaternionum. Ultima codicis pars, i. e. pag. 292—303 est humilioris aspectus, membranae valde tenuis et lacerae, carens ut videtur regulari dispositione; inter pag. 301/302 denuo vestigium dimidii folii exsecati.

Atramentum plerumque fuscum est, interdum aut flavum aut fere nigrum. Tituli plerumque minio scripti sunt. A pag. 164 deinceps grandiores litterae initiales saepius rubris punctis circumductae sunt, et multae initiales litterae minores interius expletae minio.

Manus. — Octo ferme manus apparent in codice ut nunc habetur, quarum duae principales. Harum prior certe scribebat pag. 1—162, paucis locis exceptis in pagg. 59, 63/64, 94; altera incipit a pag. 164, i. e. a. secunda parte codicis, minime tamen sola usque ad finem codicis laborasse facile deprehenditur. Pag. 253 mutatur cum atramento, ut videtur, et manus; alia iterum manus a pag. 289 deinceps, ut praeter alia indicat *d*.

2. *Quae codex contineat.* — Quia prostant ectypa, in allegandis verbis codicis ab artificiosa reproductione liceat abstinere. Habentur ergo:

a) Pag. 1—126: *S. Caesarii* homiliae XII. — De hac speciali XII homiliarum collectione in hoc aliisque manuscriptis confer: C. Fr. Arnold, *Caesarius von Arelate*, (Leipzig, 1894), pag. 454. — A. Malnory, *Saint Césaire*, (Paris, 1894) pag. XVI—XVIII.

b) Pag. 127—145: „Sermo Cesarii epi. ad monachos". „Cesarii epi" litteris capitalibus rubris super lineam scriptum. Confer de hoc sermone Arnold, l. c.

c) Pag. 145—150: „De reuerentia orationis;": maiusculis rubr. — Eandem inscriptionem habet cap. XX. Regulae S. Benedicti. Hic tractatus habetur et in 2 codd. Caesarianis Herbipolensibus: Mp. th. O 1 et Mp. th. f. 24, qui etiam in multis aliis rebus cum Sangallensi apprime concordant. Arnold, l. c. pag. 464 et 466.

d) Pag. 150—161: Sine titulo parvus tractatus de redemptione, quem A. D. 1890 duce hoc codice edidit C. P. Caspari, *Briefe, Abhandlungen und Predigten*, etc, (Christiania, 1890), pag. 202—206.

e) Pag. 162—163: Orationes et lectiones ex Missa „Gaudete" pro Dominica III Adventus, inculcatae codici post saecula.

f) Pag. 164—170, 170—189: Homiliae duae sub nomine S. Augustini. Prior est 39. inter homilias S. Caesarii in *Magna Bibliotheca Veterum Patrum*, tom. V, pars III (Coloniae Agripp. 1618) pag. 782 sq., cum alio tamen exordio. De altera homilia (Gratias agimus Deo) confer Arnold, l. c. pag. 455, qui eam dicit ineditam.

g) Pag. 189—192: Sub nomine S. Hieronymi caput IV *Regulae S. Benedicti*. Unicum huius rei quod hucusque vidi exemplum, animadversum iam a H. Plenkers in: *Zeitschrift fuer die oesterreichischen Gymnasien*, tom. 53 (1902), pag. 112. Tenorem confer cum *S. Bened Regula monachorum* ed. C. Butler, Friburgi Br. 1912.

h) Pag. 192—195: Expositio Orationis Dominicae, sumpta ex S. Ambrosii (?) libro V. De sacramentis. cap. IV. Similiter in coaevis nostro Sangallensi codicibus Einsidlensi 27, fol. 4ᵛ—11ᵛ, et Augiensi Carolsruhae

XVIII fol. 9. Cfr. G. Meier, *Catalogus codicum manu scriptorum qui in bibliotheca monasterii Einsidlensis O. S. B. servantur*, I (Einsidlae, 1899) pag. 18; A. Holder, *Die Reichenauer Handschriften*, 1. Band (Leipzig 1906), pag. 59. Editoribus Maurinis haec expositio est sermo 84. inter suppositicios S. Augustini: apud Migne, *Patrologia Latina*, tom. 39, col. 107 sqq.

i) Pag. 196—210: Homilia celeberrima S. Caesarii „de christiano nomine cum operibus non christianis", quae hic „de signum XPI uel sortilecus", etc. inscribitur. Non plene consonat cum *PL 39, col. 2237 – 2240*. Cfr. Arnold l. c. pag. 455.

k) Pag. 210—214: rubris maiusculis: „Lec̃ de tractatum sci Hieronymi p r bi ante · II · doma de nai dñi ex euangelio sc̃i mathei". Sumpta ex S. Hieron. *Commentar. in Evang. Matth.* lib. III, cap. XXI: *PL 26 (1845) col. 146—148*. De usu huius pericopae de ingressu Domini in Jerusalem cfr. St. Beissel, *Entstehung der Perikopen des Roemischen Messbuches* (Freiburg i. Br. 1907), pag. 170 (Tabelle).

l) Pag. 214—222: Homilia sub nomine S. Augustini „ante una dominica de natale dñi lec̃;" (rubris maiusculis). Est sermo S. Caesarii de Adventu Domini: *PL 39, col. 1975 – 1977*. Cfr. German. Morin in *Revue Bénédictine*, XIII (1896), pag. 99.

m) Pag. 222—226: Lectio adhibenda „ante die vigilia nativitatis Domini" (rubris maiusculis) concinnata ex S. Hieron. *Commentar. in Evang. S. Matth.* lib. IV, cap. XXV, v. 1—8 (De decem virginibus): *PL 26, col. 183—185*.

n) Pag. 227—230: „In natale Domini"; (rubris maiusculis). Quadrat cum sermone 234, n. 1 sq. in appendice t. V. operum S. Aug. ed. Maurin. (PL 39, col. 2176 sq), et cum Fausti *De ratione fidei* apud A. Engelbrecht, *Fausti Reiensis . . Opera*, (Vindobonae, 1891), pag. 454 sq. Hic sermo homiliario Pauli Warnefr. insertus est (PL 95, col. 1169 A), multo post Paulum Warnefr. Cfr. Fr. Wiegand, *Das Homiliarium Karls des Großen*, (Leipzig, 1897), pag. 25.

o) Pag. 230—266: Sermo sine titulo. Incip. „Dilectissimi frs̃ oportit nos humilitatem habere . . . .

Pag. 230—232 fere conveniunt cum 67. inter sermones ad fratres in eremo: *PL 40, col. 1353 sq.* Pagg. 235/36, 239 habent aliquas sententias fere communes cum cap. IV. et VII. Regulae S. Benedicti ed. Butler, pagg. 22, 30, 32 sq.

Pag. 245: „Scriptum namque est: hic nobis mundus carcer est". Ubinam invenitur? Tertullianus *Liber ad martyres*, cap. II habet: „Si enim recogitemus *ipsum mundum carcerem esse* . . .": PL 1, col. 622 A. S. Augustinus, *Enarr. in Ps.* 141, n. 17 in v. 8 (Educ de *carcere* animam meam): „Quibusdam . . . visum est quod . . . *carcer mundus iste sit*, et hoc orat Ecclesia, ut de carcere educatur, id est, de hoc mundo" (PL 37, col. 1843 A).

Pag. 247: allegantur Augustinus, *De vera religione* cap. 48, n. 93 (PL 34, col. 164) et „scs cassianus", *Instit.* lib. IV, cap. 43 (ed. M. Petschenig I, Vindobonae 1888, pag. 78.) Nondum vidi impressum.

p) Pag. 266—269: „De canone uł sc̃i agustini. de rogt"; (litteris maiusc.) Est tractatus de diebus rogationum; cfr. Arnold, l. c. pag. 455 sq. De propagatione huius usus gallicani cfr. E. Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, lib. IV, cap. 27; L. Duchesne, *Le Liber Pontificalis*, II, (Paris, 1892), pag. 40, n. 58. In Homiliario Eg[illegible]is Veronensis ep. († 802) habentur 1 „sermones de letania" ante ascensionem; cfr. Val. Rose, *Verzeichniss d[illegible] lateīn. Handschriften der Koeniglichen Bibliothek zu Berlin*, I (Berlin, 1893), pag. 92.

Paginae 269 locum de mysticis saltibus Christi confer cum S. Greg. M. homilia 29 in Evang. n. 10 (PL. 76, col. 1219 B). Similia iam apud Hippolytum Romanum et Ambrosium Mediolanensem; cfr. N. Bonwetsch, *Hippolyts Kommentar zum Hohenlied* (Leipzig, 1912), pag. 55; = Gebhardt-Harnack, *Texte und Untersuchungen*, Neue Folge, VIII, Heft 2 c. — Nondum vidi impressum.

q) Pag. 269—273: „De infirmitate uł sanitate anime"; (litteris maiusc.) Pag. 270—272 quaedam congruunt fere cum S. Aug. in Joa. Ev. cap. 1. tractat. VII, n. 7 et 12; Enarr. II. in Ps. 21, n. 4 in fine; Enarr. in Ps. 58, n. 7. — Nondum vidi impressum.

r) Pag. 274—289: *Liturgica;* primum ordo quidam antiquissimus ad faciendam aquam benedictam; deinde orationes pro visitandis benedicendisque quibusdam partibus monasterii. Huc pertinet etiam oratio in pag. 302. Haec edita et illustrata habentur apud Ad. Franz, *Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter*, I (Freiburg i. B. 1909), pag. 154—163, et pag. 633—644; cfr. et eiusdem operis tom. II, pag. 653, col. 2 sub *CSG 193*. De oratione in pisale [= calefactorio] pag. 302 legendus quoque J. G. ab Eckhart, *Commentarii de rebus Franciae orientalis*, I (Wirceburgi, 1729), pag. 858. Cfr. etiam Alcuini carmina, C. II/III et LXIV, I; ed. Duemmler in *Mon. Germ. hist.*, Poëtae, I (1881), pag. 328 et 282.

s) Pag. 289—298: Varia de psalmodiae praestantia. Incip. „Sc̃s agustinus inquid [rubris maiusc.] — Pag. 289 sq. quoad substantiam fere conveniunt cum „Dictis s. Augustini, quot sint virtutes psalmorum" impressis ex. gr. in PL 131, col. 142; ordo tamen sententiarum diversus est.

Hic sub nomine S. Aug. traditus prologus in psalmos septies in codd. Sangallensibus invenitur secundum G. Scherrer, *Verzeichniss*, etc, pag. 552, col. 2, et pag. 14.

Pag. 296/97 = S. Isidor. Hispal. *Sententiarum lib.* III, cap. VII, n. 31—33: PL 83, col. 678 sq.

Pag. 297: „Item alia scriptura dicit" (maiusc. rubris deargentatis). Quae sequuntur, excepto fine, sumpta sunt ex S. Nicetae Remesian. *De psalmodiae bono*, cap. V, ed. A. E. Burn (Cambridge, 1905), pag. 72.

Partem vero in pag. 290 („Et hieronymus ait.") — 295 nullibi hucusque integre impressam inveni. Quaedam congruunt cum l. c. PL 131, col. 142 C, 142 D, et cum praefatione S. Basilii ad eius commentar. in Psalmos ex interpretatione Rufini: PL 36, col. 64.

t) Pag. 299—301: Anonymi epistula ascetica, quam frustra quaesivi impressam. Pag. 301: „marisque intercapedine distabamur." Estne periti in Scriptura cuiusdam Angli vel Scotti saec. VIII?

u) Pag. 302/03: Orationem in pisali sequitur specimen vocabularii latino-teutonici, de quo cfr. Arnold, l. c. pag. 456 sq.

3. *De aetate codicis.* — De paucis posterius codici adiectis hic non agitur. Quod genuinam scriptionem attinet, vix adest difficultas, nisi quis arctissimum terminum definire cupit. Alii codicem assignant *saec. VIII. (exeunti)*, alii vero *saec. IX. ineunti*. Saec. igitur *IX.* codicem attribuit ex. gr. Ildefonsus von Arx in relatione sua de codicibus rescriptis exarata non ante a. 1822, quae est sectio XV cod. Sangall. 1395. Pariter G. Fr. Haenel, *Catalogi librorum manuscriptorum*, etc. (1830) apud Migne, *Dictionnaire des Manuscrits*, II (Paris, 1853), col. 1713; et inter recentiores ex. gr. A.

Chatelain, *Uncialis scriptura,* Explanatio Tabularum (Paris, 1901), pag. 113. Olim Ildef. von Arx scripturam iudicaverat esse *saec. VIII.* in *Geschichten des Kantons St. Gallen,* I (1810), pag. 191. Eiusdem sententiae sunt ex. gr. Arnold, l. c. pag. 454; Caspari, l. c. pag. 411; Franz, l. c. I (1909) pag. XXV et 154; P. Piper apud *Arnold,* l. c. pag. 456; H. Plenkers in dissertatione supra laudata; Scherrer, l. c. pag. 71. Post pluries repetitam codicis excussionem huic secundae sententiae potius adhaerere tiro permoveor. Litterarum formae, notae numerales, ligaturae, contignationes, compendia scripturae, orthographia, interpunctio, ornamenta hanc sententiam certe admittunt vel etiam insinuant.

Compendia non constantem aliquam formam servant, excepto fere *aũ* (autem), *ul* et *sĩc.* Pro *noster, nostri,* etc. tum in prima parte codicis, tum in secunda (= a pag. 164) habetur typus et *ni* et *nri,* ex. gr. pag. 164, 168, 181, 185, 214, 256; pag. 166 bis *ura;* etc. *Propter* modo est = *p̃p:* ex. gr. pag. 10, 34, 61, 67, 107; modo = *pp̃t:* ex. gr. pag. 63, 71, 164. *Quoniam* = *qũo* et *qm̃* in pag. 236. Aliquoties habetur *misericordia* = *mĩa:* ex. gr. pag. 8, 116, 119; *Dauid* = *dd̃:* pag. 33, 214. Inveniuntur et vestigia sensim antiquatae *i - longae:* vide praesertim pag. 227, 193, 14, 30. De qua re in codd. Sangallensibus confer E. A. Loew, *Studia palaeographica,* (München, 1910) pag. 49.

Orthographia satis incompta, sed inquirentibus in linguas romanicas forsitan haud ingrata. Cfr. ex. gr. pag. 37: *insola;* pag. 169: *ledus & illares;* pag. 208: *scomitere;* pag. 220: *parcha;* pag. 280: *archanis,* et: *limphidis,* et: *satanan;* etc, etc; pag. 185: *externo die,* et: *sterno die* pro *hesterno;* pag. 188: *spiditi* pro *expediti.*

De interpunctione hic tantummodo noto, in fine pagg. 298, 299, 301 distinctionem finalem tribus exilibus punctis per modum trianguli dispositis constare. Quod congruit cum usu hibernico seu scottico ut sentit F. Keller apud *W. Wattenbach, Anleitung zur latein. Palaeographie*[4] (Leipzig, 1886) pag 90; cfr. etiam Bretholz, *Lateinische Palaeographie*[2] (Leipzig - Berlin, 1912) pag. 111. Simile signum ex. gr. occurrit in cod. Corbeiensi s. VIII. apud Mabillon, *De re diplomatica*[2] (Paris 1709) pag. 361, Specim. V; item in facs. ex. cod. Corbeiensi apud J. M. Heer, *Die Versio latina des Barnabasbriefes,* (Freiburg i. Br., 1908) post pag. 2 (= Cod. Petropolit. Caes. Bibl. Auct. lat. I. Q. v. 39); item in facs. ex cod. Corbeiensi (Amiens 88) apud H. B. Swete, *Theodori Episcopi Mopsuesteni in Epistolas B. Pauli Commentaria,* I (Cambridge, 1880) ad pag. XXIV; item: *Paleografia artistica di Montecassino: Latino* (Montecassino, 1882). Tav. XLIII (= Cod. Casin. CCC II, pag. 5).

4. *De codicis patria.* — Plurimi codices Sangallenses ex ipso scriptorio Sangallensi prodierunt. Estne his adnumerandus codex noster? Impeditis certe praeferenda sunt simplicia, sed nequeo tueri obortam suspicionem de origine Sangallensi, licet scripturae genus in pluribus conveniat cum usibus Sangallensibus, licet Cod. 193 forte iam medio saec. IX. in Sangallensi armario fuerit. Catalogus nempe antiquissimus in Cod. Sangall. 728 s. IX. habet prima manu: „Itē omelie cesarii epi. uol. II", cui alia manus (s. IX. ex.?) subiunxit: „parua. unū aliqd. alt' nihil"; apud G. Becker, *Catalogi Bibliothecarum antiqui* (Bonnae, 1885) pag. 49, sub n. 277/78; cfr. H. Zimmer, *Pelagius in Irland* (Berlin, 1901), pag. 219. Vero simile est, haec II volumina parva Caesarii esse codd. 193 et 194 Sangallenses hodiernos. Sed habebantur illo tempore in pluteis Sangallensibus libri apud S. Gallum minime scripti, ex. gr. — ut de vetustissimis taceam — codd. 188, 635, 722, etc, de quibus cfr. Scherrer l. c. sub his numeris; de Cod. 635 specialiter *Mon. Germ* hist. Scriptores rerum Langob. (1878) pag. 35.

Ab accipienda origine Sangallensi me dehortantur praeter alia character scripturae penitius excussus et emendatio quaedam forte Sangallensis s. IX/X. in pag. 189 codicis nostri 193. Hic enim cap. IV. Regulae S. Benedicti, prout dictum est, inscribitur homilia S. Hieronymi. Antiquus lector vel corrector, cuius scriptura cum Sangallensi apprime quadrat, emendavit: „De regula Sci benedicti". Quod factum et generatim originem benedictinam huius cod. certe dubiam reddit. Verum pro aliquo virorum monasterio et citra dubium et in monasterio codicem exaratum esse prodit imprimis eiusdem pars liturgica. Notum est fuisse praeter monasteria monachorum etiam monasteria canonicorum, quae interdum difficile ab invicem distinguuntur; cfr. A. Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands,* II[2] (Leipzig, 1900), pag. 431,3; F. Cancellieri, *De secretariis novae basilicae Vaticanae,* l. II (Romae, 1786) pag. 1579 sqq.

Scriptorio igitur S. Galli relicto menses insumebam quaerendo codicis patriam alibi. Operosa hac inquisitione paulatim sententia emersit, codicem forte scriptum esse — probabiliter ad archetypon francogallicum — in regione coenobio S. Galli haud dissita, i. e., in antiqua Raetia prima seu Curiensi vel in huius provinciae vicinitate. De Raetiae terminis cfr. ex. gr. A. Eichhorn, *Episcopatus Curiensis,* (Typis San-Blasianis, 1797) pag. XXIII—XXX; de Raetiae coenobiis: l. c. pars II & III; J. G. Mayer, *Geschichte des Bistums Chur,* I (Stans, 1907), pag. 69—75; 100—110. Pauca saltem eorum, quae me huc deduxerunt, liceat non docendi sed discendi cupiditate simpliciter enumerare.

Scriptura codicis fere ubique multa elementa pandit, quae ad stilum „langobardicum", „Casinensem" seu beneventanum admodum accedunt: ex. gr. minusculae litterae *t* et *e* tum separatae, tum colligatae. Conspicua similitudo habetur ex. gr. inter scripturam primae partis vel partis liturgicae et antiquiorem minusculam Italiae septentrionalis saec. VIII/IX, qualem vides apud Ehrle-Libaert, *Specimina codicum latinorum Vaticanorum,* (Bonnae, 1912) Tab. 10. Ex altera parte prostat in cod. 193, pag. 302/03 specimen aliquod *vocabularii latino-teutonici* partim eisdem characteribus scriptum. Scripturae porro compendia generatim loquendo Germanicum morem sequuntur (cfr. L. Traube, *Nomina sacra,* München, 1907, pag. 219/20) italico non ex toto excluso. Quae facta retegere videbantur, codicis patriam apte quaeri posse in confiniis Italiae et antiquioris Germaniae. De Alamannis iam antiquitus in Raetia cfr. Ch. F. Staelin, *Wirtembergische Geschichte,* I (Stuttgart, 1841), pag. 147; P. C. Planta, *Das alte Rätien,* (Berlin, 1872) pag. 371 sq; M. R. Buck in *Birlinger, Alemannia,* IX (Bonn, 1881), pag. 175—186. De Alamannis porro Karolino aevo circa Comum et Modoetiam v. F. L. Baumann, *Forschungen zur Schwaebischen Geschichte,* Kempten, 1899, pag. 492.

Opus deinde erat, comparare codicem 193 cum coaevis codicibus, qui iure raetici censentur. Quales sunt ex. gr.

a) Cod. Sangall. 348, saec. VIII IX (A. D. c. 800), continet innovatum Sacramentarium Gelasianum. Pag. 368 occurrit ad *Memento vivorum* in Canone missae Remedius quidam episcopus, quem cum aliis post discussa

dubia non coaevum Argentoratensem sed Curiensem esse teneo. Huius Curiensis ep. nomen insertum est libro confraternitatum Sangallensi, quod specialem necessitudinem cum hoc coenobio pandit; cfr. *Mon. Germ. hist. Libri confraternitatum*, ed. P. Piper (Berlin, 1884), pag. 35, col. 75,5. Facsimile apud: H. A. Wilson, *The Gelasian Sacramentary*, (Oxford, 1894), Frontispiece; cfr. et pag. XLIII; apud A. Chroust, *Monumenta palaeographica*, I. Abt. I. Serie, Lieferung XVII (1905), Tafel 7. Secundum Chroust hic cod. indubius raeticus est. Codici 348 simillimus est Cod. Sangall. 350 (fragmenta Sacramentarii), sed formae scripturae italicae adhuc paulo propinquior. Eadem forte vel eiusdem scholae manus litteras initiales in codd. 348 et 350 depinxit secundum notam Ildefonsi von Arx in capite cod. 350. Cfr. L. Delisle, *Mémoire sur d'anciens sacramentaires*, (Paris 1886) pag. 84—86; A. Ebner, *Quellen und Forschungen zur Geschichte und Kunstgeschichte des Missale Romanum im Mittelalter. Iter italicum.* (Freiburg i. Br. 1896) pag. 378.

b) Cod. Sangall. 722, saec. IX., rescriptus, inter alia contineus „Capitula Remedii" episcopi Curiensis. Codex est, iudice A. Chroust, l. c. ad Tabul. 6, certe Curiensis scripturae. Parvum ectypon paginae 186 huius cod. duabus manibus scriptae in: *Mon. Germ. hist. Legg. tom. V*, Tabula II ad pag. 292. Cfr. Scherrer, *Verzeichniss*, pag. 231 sq. Facsimile pag. 154 (non ex parte Remediana) apud A. Chatelain, *Uncialis Scriptura* (Paris, 1901), Tab. LVIII, 1. De Remedio cfr. J. G. Mayer, *Geschichte des Bistums Chur*, I (Stans, 1907), pag. 86 sqq.

Raetus habetur etiam Cod. Sangall. 371, saec. IX. med., conscriptus epistulis Alcuini, qui Remedio plures misit. Est iam paulo provectioris scripturae hic liber, quam ut apte cum cod. 193 comparetur. Cfr. E. Duemmler in: *Mon. Germ. h. Epist. tom. IV.* (1895), pag. 7 sq; Facsimile apud: J. B. de Rossi, *Inscriptiones urbis Romae christ.* (Romae, 1888), in Tab I. Codex iam notatur in catalogo codicis Sangall. 728: Becker, l. c. pag. 51, nr. 352.

c) Cod. Sangall. 1394, sectio XI, s. IX (circa A. D. 820), pag. 131, continet 4 chartas in Raetia scriptas a quodam Andrea presbytero notario, quibus Ildef. von Arx commentariolum praemisit; cfr. Scherrer, l. c. pag. 460; H. Wartmann, *Urkundenbuch der Abtei Sanct Gallen*, I (Zürich, 1863), pag. 214 sq. Alias chartas raeticas contuli in archivo conventuali Sangallensi. De 39 charitis raetis, quae apud S. Gallum asservantur quin res Sangallenses attingant, et in chartulario laudato per H. Wartmann editis cfr. Meyer von Knonau *Mittheilungen zur vaterlaendischen Geschichte*, XIII (St. Gallen, 1872), Excurs II, pag. 220. In eodem tabulario Sangall. adest sub n. 1:

d) Liber Viventium monasterii Fabariensis in Raetia, qui praeter series nominum continet in 4 manipulis seu quaternionibus non successivis partes 4 Evangeliorum scriptas saec. IX. ante, ut videtur, A. D. 830, quae mire congruunt cum cod. 193; littera tamen minuscula *e* saepius concordat cum cod. 348. Cfr. de hoc cod. Fabariensi: Bethmann in *Archiv der Gesellschaft fuer aeltere deutsche Geschichtskunde*, IX (Hannover, 1847) pag. 596—599; P. Piper, *Libri confraternitatum*, etc, pag. 355—357; S. Berger, *Histoire de la Vulgate* (Paris, 1893), pag. 37 sq., et 316.

e) Cod. Einsidlensis { 199, pag. 431—526 / 281, pag. 1—178. } Hae paginae saec. VIII/IX. olim ad unum primigenium codicem homiliarium pertinebant. Cfr. G. Meier, *Catalogus codicum*, etc, pag. 155 sqq. et pag. 257 sqq. In pag. 452 cod. 199 invenitur versio interlinearis raetoromana scripta s. XII incip. Facsimile huius paginae apud Groeber-Traube, *Das aelteste raetoromanische Sprachdenkmal*, (München, 1907; Separat-Abdruck). L. Traube, *Palaeographische Bemerkungen* in: A. E. Burn, *Facsimiles of the Creeds* (London, 1909) pag. 9—11 (Sonderabdruck). In cod. 199, pag. 461—510 habentur „Dicta abbatis Priminii" edita a C. P. Caspari in *Kirchenhistorische Anecdota*, I (Christiania, 1883), pag. 151—193, quae Dicta C. Sittl praeter aliquas chartas Sangallenses nuncupat fontem cognoscendae latinitatis raeticae in: *Jahresbericht fuer Altertumswissenschaft*, LIX (1889, II:) Spaetlatein. Schriftsteller, etc, pag 43.

Speciali porro mentione dignus et in quaestionem adducendus videtur Cod. Sangall. 567, qui inter varia variarum manuum scripta praebet quaternionem cum Vita S. Lucii Confessoris Curiensis (pag. 135—152); cfr. Scherrer, l. c. pag. 182. Hic saeculi VIII/IX codex auctori vetustissimi catalogi Sangall. iam prae manibus erat; cfr. Becker, l. c. pag. 49, n. 279. Scripturae genus in Vita Lucii in quibusdam proprietatibus peculiaribus concordat cum codd. Fabariensi l. et Sangall. 350, 193, etc. Sangallensis vero similiter corrector Vitae s. Lucii radendo minusculam *t* formae beneventanae vel „Cassinensis" vel „langobardicae" saepe transformavit in communem formam, ne lector minus peritus pro *t* legeret *a*.

Publico aptoque usui liturgico haec Vita tempore scriptionis, i. e. saec. VIII. ex. vel IX. incip., esse potuit in civitate vel regione Curiensi. Sic enim Vita orditur: „Diem festum celebrantes beatissimi Lucii . . . ad memoriam revocemus, qualiter *locus iste* de tenebrarum caligine liberatus, lumen rerum perceperit. Hinc ergo psalmi resonent, inde concrepent lectiones"; ed. Br. Krusch in: *Mon. G. h Scriptorum Merov.* tom. III (1896) pag. 2. Et circa fin. n. 20: „Libet sancti huius (Lucii) gloriam nostraeque restaurationis gratiam praedicare, quomodo memor nostri Dominus infra cacumina montium . . . . nobis apostolum suscitaverit . . ."; l. c. pag. 7. Circa A. D. 800 talem cultum S. Lucii testatum habemus in sola Raetia Curiensi vel Curia tantum. Ex dictis forte nonnullis placet, repetere ortum exemplaris Sangall. antiquissimi Vitae Lucii ex ipsa civitate Curia.

Sub Vita denique S. Lucii latent fragmenta eiusdem Codicis biblici, qui partim habetur sub secunda scriptura codicis 193; cfr. Ildef. von Arx in Cod. Sangall. 1395, sectio XV, pag. 471. Etiam illa fragmenta publicare cum aliis in proposito est.

Enarratis his aliisque rebus pedetentim repertis, seorsum atque simul saepe conspectis ad sententiam inductus sum, codicis Sangallensis 193 superiorem scripturam saec. VIII. ex. vel. IX. incip. in aliquo monasterio probabilissime Raetiae Curiensis vel huic vicino exaratam esse. Oblata meliora grate complectar. — De raetis monachis coenobii Sangall. saec. VIII. cfr. Ildef. v. Arx, *Geschichten d. K. St. Gallen*, I, pag. 177.

De Codicis Sangall. 193 scriptura inferiore seu deleticia

(= Cod. Sangall. 193 D).

Plura quae modo perstringentur, uberius tractanda erunt, quando recuperatis ulterioribus huius codicis reliquiis collectorum fragmentorum *transcriptionem* inter *Collectanea biblica latina* publicare licebit.

1. *De codicis ambitu, statu, forma.* — Inferiore scriptura carent paginae 113/14 et 161/62. Una pagina, quae nobis 304 est, interiori lateri tegumenti posterioris agglutinata et satis exesa praeter primam scripturam solas pennae probationes habet. Codex ergo in totum 303 pagg. consistit, non 304, quia numerus 200 in codice per errorem omissus est.

Quae paginae fragmenta sunt et membra disiecta nec semel lacerata duorum, ut omnino videtur, voluminum priscorum, quorum altitudo fuit circiter 270 mm, latitudo circiter 220/30 mm, ergo formae quadratae antiquitati carissimae. Inspiciendo paginas ex. gr. 129, 256, 259 claret, folia priscorum voluminum in conformando novo libro circa plicaturas interdum non nihil recisa fuisse. Nostras paginas ad duo distincta seu tantum extrinsece colligata volumina reducendas esse, monent pauci qui supersunt quaternionum seu manipulorum numeri. Antiquissimo more in angulo dextro pag. 105 (Dan. V, 21) habetur: III; in pag. 143 iterum: III apud Amos II, 1. Daniel igitur et prophetae minores non eiusdem libri partes fuerunt. In Daniele habentur insuper numeri quatern. II: pag. 103; IV: pag. 282; VI: pag. 115. Numerus V in ipso Dan. forte bis invenitur intra breve spatium: pag. 18 (Dan. XI, 18) et pag. 178 (Dan. XII, 10). Quod indicaret numeros non in fine solo vel capite manipulorum positos esse: res sane rara. Pag. 277 (Dan. V, 27) conspiciuntur vestigia numeri, qui servata hac lege potest fuisse: III; similiter pag. 123 (Osee VII, 11) vix non: IV. Qui numeri proinde restituendo duplici libro priori parum inserviunt. In quo negotio filo ductore uti oportet contextu. Quare duplex additur praefationi conspectus, qui praeter alia debetur curae confratris P. E. Munding. Photographa fecit R. P. Notkerus Langenstein acri labore.

Membrana modo tenuissima, modo paulo crassior; modo adhuc alba vel flava; modo obscuritate vel sordibus obducta.

2. *De scripturae genere, etc.* — Scriptum est semiuncialiter eximia simplicitate et elegantia, perpicuitate et maiestate. Convenit ingenio Romano. Aequalis scriptura hucusque non obviam mihi venit. Simillimam verò contemplari conceditur in Codice No. 4. Bibliothecae Capituli Veronensis apud A. Chatelain, *Uncialis Scriptura,* Tab. XLV. Ut in hoc Veronensi, sic in nostro Sangallensi scriptura longis versibus per cola et commata — paucis exceptis — progreditur. Quod in prophetis S. Hieronymo in usu et votis fuisse, ipsius Prologus in Isaiam „Nemo cum prophetas" declarat. Vid. *Prolegomenon IV. editionis Benedictinae in divinam s. Hieronymi bibliothecam,* § III: PL 28, (Paris, 1846) col. 109 sqq.

Compendia scripturae perpauca et nonnisi iam antiquissimo aevo scripturae semiuncialis usitata. In fine versus (lineae) subinde habetur dextrorsus super vocalem pro littera *m* lineola cum puncto supposito. Occurrunt menda et emendationes, ligaturae et contignationes. Orthographia antiquam rationem servat. Interpunctio tali scripturae dispositioni parum necessaria forsitan in ablutione huius codicis plurimum passa est. Saepe videntur simplicia puncta circa mediam litteram finalem. Punctum ante *non* in pag. 66,1 inter alia docere videtur, codicem lectioni publicae destinatum esse. Cod. Amiatinus ex. gr. posituris caret; v. P. Batiffol in: F. Vigouroux, *Dictionnaire de la Bible,* I (Paris, 1895), col. 480.

Numerus versuum variat aliquantulum; connumerato titulo plus minus 22—25 in plenis paginis. Plerumque discernuntur adhuc linearum ductus. Atramentum residuum flavum colorem ostendit. Una saltem vice librarius tinctura aurea vel potius argentea usus est, sc. pag. 139 in titulo Orationis Habacuc; quod ex nigro nitore colligo. Pluries porro minium adhibuisse videtur. Deficiunt ex. gr. rubricae criticae s. Hieronymi in capp. III. et XII. Dan., cum circumstantes versus satis bene conservati sint. Puto haec minio scripta esse, quod ablutioni parum resistit nec cubilia litterarum relinquit, cum membranae antiquo more potius imponitur quam imprimitur. „Rubricae" minium quasi advocant. Deficit pariter forsitan ob eandem causam initium Danielis. Est nempe antiquissima consuetudo exordiendi libri a versibus rubris, sicut inter alios classicorum codices prodit Cod. Vindobonensis 15 (Livius), s. V; cfr. facsimile bicolor in *Archiv der Gesellschaft fuer aeltere deutsche Geschichtskunde,* IV (1822) ad pag. 521. Similem usum cernimus in Codice Alexandrino biblico, s. V; cfr. Septuaginta Interpretum tom. I. ed. Grabe, Oxoniae 1707, Prolegom. cap. I, § 6.

Pag. 51 et 73 (hic scriptura paginae versae transparet) habentur post titulos spatia maiora. „Explicit" vides pag. 58 et 64 (hic et pag. 73 linea Maeandrica dicta). De usu „Expl." cfr. S. Hieron. Epist. 28 (ad Marcellam), 4, ed. Hilberg (1910) pag. 229.

3. *De textu codicis.* — Ut conspectus additi docent, habetur etiam Prologus S. Hieron. in Danielem. Claret translationem quae codici inest eiusdem Patris esse. Quae tamen non pauca inopinata ministrat et magni momenti pro re critica et textus traditione. Vide ex. gr. Osee cap. XIV; Dan. capp. I, III (Benedicite), V, etc, etc. Enarrare multa hic locus non patitur; fructuosius tractarentur collatis aliis testibus (ex. gr. Amiatino, Lectionario Toletano, etc) in speciali commentario. Dolendum, quod non plura pretiosi codicis nota aut servata sunt; incommodum, quod graves rationes a dissolvendo codice prima adhuc et vetustissima ligatura instructo sunt dehortatae. Quare nobis aliqua in plicaturis — ceterum ut solet perforatis — erepta sunt. Sed rursum adepti sumus emolumenta, quae lacunam resarciant vel aequent.

4. *De codicis Sangall. 193 D aetate et patria.* — Ildefonsus von Arx in notitia praevia cod. 193 et in syllabo supra laudato palimpsestorum Sangallensium eum attribuit saeculo VI. Similiter Haenel apud Migne, *Dictionnaire des Manuscrits* II, col. 1713. Iudicio desideratissimi Ludovici Traube certe saec. VI. recentior non est *(Hieronymi Chronicorum codicis Floriacensis fragmenta,* Lugduni Batavorum, 1902, pag. VII, IX.) Quocum non pugnat sententia Aemiliani Chatelain, qui in opere praeclaro *Uncialis Scriptura, Explanatio Tabularum,* pag. 112, codicem assignat saeculo quinto. Fateor: quo familiarior per plenum annum codex mihi reddebatur, eo magis convictus sum, quintum saeculum exiens in aetate huius codicis designanda non facile semoveri.

Simul oriebatur opinio, patriam codicis esse Italiam bonorum pulchrorumque librorum feracem, et alebatur non una contemplatione. In Raetiam Curiamve ex vicina Italia codices migrasse, difficultatem non patitur. Curia erat in via frequentatissima, quae Italiam, Raetiam, Germaniam inter se coniungebat; confer ex. gr. F. Franziss, *Bayern zur Roemerzeit*, Regensburg, 1905, pag. 119; Planta, l. c. pag. 85. Sedes episcopalis Curiensis erat suffraganea Metropoleos Mediolanensis; cfr. Eichhorn, l. c. pag. XX; Planta, l. c. pag. 225—228; B. Oltrocchi, *Ecclesiae Mediolan. historia ligustica*, Mediolani, 1795, pag. 93 et 464. Habentur in urbe Curia fragmenta latina Evangeliorum (= *n*, olim a^2) saec. V, inventa in archivo Curiensi episcopali, quae iudice E. Ranke intime cohaerent cum Evangeliorum codice Vercellensi (= *a*) S. Eusebii; cfr. Mayer, *Geschichte des Bistums Chur*, I. pag. 33.

Alia eiusdem codicis fragmenta *(n)*, ad quem pertinebant haec Curiensia, nunc servantur in armario Sangallensi, quod ea probabilissime ex Raetia vel ipsa Curia recepit; cfr. P. Corssen, *Bericht ueber die lateinischen Bibeluebersetzungen*, 1899, pag. 21; F. C. Burkitt in: *The Journal of Theolog. Studies V (London 1904)*, pag. 105 sq. Parem omnino fortunam habuisse videtur Cod. Sangall. 193 D. Certe iam saec. V. Curia libris sacris indigebat; cfr. Planta, l. c. pag. 220 sq. Iuxta L. Traube, *Vorlesungen und Abhandlungen II*, München, 1911, pag. 27 invenitur in Cod. Sangall. 1395 scriptura semiuncialis saec. VI. oriunda ab Italia septentrionali. Num hic exortus et Cod. 193 D?

* * *

Concludendi verbo iucundo et facultas adest et causa. Omnibus itaque cupimus grates agere, qui sese huius libri benefactores, amicos, consiliarios, emptores praestiterunt; quosque simul rogamus, ne nos in meliora nitentes desinent ulterius benevolentia sustentare atque prosequi. Quidam imprimis de hac editione meritus taceri voluit. Inter benefactores nominatim liceat commemorare nobilem D. am Vicecomitissam DU COËT-LOSQUET Rambervilerensem, cuius largitati debetur, quod sine maiore iacturae periculo hoce volumen tenui pretio potest offerri. Cuius benefacti heic perduret dulce gratumque testimonium.

Beuronae (Hohenzollern), ad s. Martinum,

P. Anselmus Manser O. S. B.

CORRIGENDA

Lege in Tab. 37, pag. 72: Agg. II 11—13_2.
„ „ „ 98, „ 195: Osee X 5_2—8.
„ „ „ 116, „ 231: Ezech. XLVII 3—5_3.

A. CONSPECTVS TABVLARVM

TABVLA		TEXTVS
1	pag. 1.	DAN. I. 1_2—3_2.
2	pag. 2.	DAN. I. 11—14_2.
	„ 3.	DAN. I. 6—8_2.
3	pag. 4.	DAN. I. 17—19_2.
	„ 5.	DAN. III. 95—96_2.
4	pag. 6.	DAN. III. 99_2—IV. 3_2.
	„ 7.	DAN. V. 5_2—7_2.
5	pag. 8.	DAN. V. 9_2—11.
	„ 9.	DAN. V. 11_2—12_2.
6	pag. 10.	DAN. V. 7_2—9.
	„ 11.	DAN. IV. 3_2—5.
7	pag. 12.	DAN. III. 96_2—99.
	„ 13.	DAN. I. 20—II. 1_2.
8	pag. 14.	DAN. I. 15—17.
	„ 15.	DAN. I. 9—10_3.
9	pag. 16.	DAN. I. 3_2—5_2.
	„ 17.	DAN. XI. 10_2—13.
10	pag. 18.	DAN. XI. 16—18.
	„ 19.	EZECH. XLII. 11_2—13.
11	pag. 20.	EZECH. XLII. 14_2—16_2.
	„ 21.	DAN. VIII. 25_2—27_2.
12	pag. 22.	DAN. VIII. 19—22.
	„ 23.	EZECH. XLV. 5_2—7.
13	pag. 24.	EZECH. XLV. 1_2—3.
	„ 25.	EZECH. XLIV. 30—XLV. 1_2.
14	pag. 26.	EZECH. XLV. 3—5_2.
	„ 27.	DAN. VIII. 16—19.
15	pag. 28.	DAN. VIII. 22_2—25.
	„ 29.	EZECH. XLII. 17—20.
16	pag. 30.	EZECH. XLII. 13_2—14_2.
	„ 31.	DAN. XI. 13_2—15_2.
17	pag. 32.	DAN. XI. 8—10_2.
	„ 33.	ION. II. 2—5_2
18	pag. 34.	ION. II. 9—III. 3.
	„ 35.	OSEE XII. 13—XIII. 2_2.
19	pag. 36.	OSEE XII. 5—8_2
	„ 37.	OSEE IX. 16—X. 1_2.
20	pag. 38.	OSEE IX. 10_2—12_2.
	„ 39.	AMOS VII. 14_2—17_2.
21	pag. 40.	AMOS VIII. 3_2—6_2.
	„ 41.	AMOS VIII. 7—9_2.
22	pag. 42.	AMOS VII. 17_3—VIII. 3.
	„ 43.	OSEE IX. 7_2—10_2.
23	pag. 44.	OSEE IX. 13—15_3.
	„ 45.	OSEE XII. 1—4.
24	pag. 46.	OSEE XII. 8_2—12_2.
	„ 47.	ION. III. 4—6_2.
25	pag. 48.	ION. II. 6—8_2.
	„ 49.	OSEE VIII. 5_2—8_2.

TABVLA		TEXTVS
26	pag. 50.	OSEE VII. 14_2—16_3.
	„ 51.	INCIPIT IOEL.
27	pag. 52.	OSEE XIV. 5—9.
	„ 53.	DAN. III. 5—7.
	In extrema marg. interiore deprehenditur: [fistu-] *lae et citharae* (DAN. III. 5_1)	
28	pag. 54.	DAN. III. 1_2—3.
	Ad marginem interiorem scidula { r° DAN. III. 5. v° DAN. III. 1_2: in TAB. 152.	
	pag. 55.	DAN. III. 37_2—45.
29	pag. 56.	DAN. III. 29—37.
	„ 57.	OSEE XIV. 1_2—4_2.
30	pag. 58.	OSEE XIV. 9—10_2.
	„ 59.	OSEE VII. 11—14.
31	pag. 60.	OSEE VIII. 1—5.
	„ 61.	EZECH. XLI. 2_3—5.
32	pag. 62.	EZECH. XL. 47_2—49_3.
	„ 63.	SOPH. III. 13_3—17.
33	pag. 64.	SOPH. III. 19_3—20_3.
	„ 65.	AGG. II. 7_2—11.
34	pag. 66.	AGG. II. 13_2—16.
	„ 67.	EZECH. XL. 44—46.
35	pag. 68.	EZECH. XL. 39_2—42.
	„ 69.	EZECH. XL. 42—43_2.
36	pag. 70.	EZECH. XL. 46—47.
	„ 71.	AGG. II. 16_2—19.
37	pag. 72.	AGG. II. 11—13_2.
	„ 73.	INCIPIT AGG.
38	pag. 74.	SOPH. III. 17_2—19_3.
	„ 75.	EZECH. XLI. 1—2_3.
39	pag. 76.	EZECH. XLI. 5_2—7.
	„ 77.	MICH. III. 11_2—IV. 1_3.
40	pag. 78.	MICH. III. 6—8_2
	„ 79.	MICH. I. 9—12.
41	pag. 80.	MICH. I. 4_2—7.
	„ 81.	EZECH. XL. 27—29.
42	pag. 82.	EZECH. XL. 22—24.
	„ 83.	EZECH. XLI. 25_2—XLII. 1_2.
43	pag. 84.	EZECH. XLI. 20_2—22_3.
	„ 85.	EZECH. XLI. 16_3—20.
44	pag. 86.	EZECH. XLI. 23—25.
	„ 87.	EZECH. XL. 20_2—22.
45	pag. 88.	EZECH. XL. 24_2—26_2.
	„ 89.	MICH. I. 1—3_2.
46	pag. 90.	MICH. I. 7—9.
	„ 91.	MICH. III. 4—5_3.
47	pag. 92.	MICH. III. 8_2—11_2.
	„ 93.	DAN. III. 85—88. 2_2.
48	pag. 94.	DAN. III. 91_3—93_3.
	„ 95.	DAN. V. 13—15_2.

TABVLA		TEXTVS
49	pag. 96.	DAN. V. 17_2—20.
	„ 97.	DAN. III. 65—70_2.
50	pag. 98.	DAN. III. 75—80_2.
	„ 99.	DAN. II. 30—32.
51	pag. 100.	DAN. II. 35—36_2.
	„ 101.	DAN. II. 37—39.
52	pag. 102.	DAN. II. 32_2—34_2.
	„ 103.	DAN. III. 80_2—84_2.
53	pag. 104.	DAN. III. 70_2—74_2.
	„ 105.	DAN. V. 20—21_3.
54	pag. 106.	DAN. V. 15_2—17_2.
	„ 107.	DAN. III. 93_3—95.
55	pag. 108.	DAN. III. 89—91_2.
	„ 109.	DAN. XIV. 35—39_2.
56	pag. 110.	DAN. XIV. 27—30.
	„ 111.	OSEE VI. 9—VII. 1_2.
57	pag. 112.	OSEE VII. 4_2—7_2.
	„ 113.	Non rescripta.
58	pag. 114.	Non rescripta.
	„ 115.	DAN. XIV. 3—6_2.
59	pag. 116.	DAN. XIII. 60—63_2.
	„ 117.	DAN. XIV. 18—21_2.
60	pag. 118.	DAN. XIV. 10_2—13_2.
	„ 119.	DAN. XIV. 6_2—10_2.
61	pag. 120.	DAN. XIV. 13_2—18.
	„ 121.	DAN. XIII. 55_2—59_2.
62	pag. 122.	DAN. XIII. 63_2—XIV. 2_2.
	„ 123.	OSEE VII. 7_2—11.
63	pag. 124.	OSEE VII. 1_3—4_2.
	„ 125.	DAN. XIV. 22—26_2.
64	pag. 126.	DAN. XIV. 31—34.
	„ 127.	ZACH. X. 6_3—8_2.
65	pag. 128.	ZACH. X. 2—3_2.
	„ 129.	HAB. II. 16_2—19.
66	pag. 130.	HAB. III. 2_2—5_2.
	„ 131.	HAB. III. 6—8_2.
67	pag. 132.	HAB. III. 11_2—14.
	„ 133.	ZACH. XI. 6—8.
68	pag. 134.	ZACH. X. 11_3—XI. 3.
	„ 135.	ZACH. X. 9—11_3.
69	pag. 136.	ZACH. XI. 3—6.
	„ 137.	HAB. III. 14_2—16_3.
70	pag. 138.	HAB. III. 8_2—11_2.
	„ [illegible]	HAB. II. 19_2—III. 2_2.
71	pag. 140.	HAB. II. 13_2—16_2.
	„ [illegible]	ZACH. IX. 16—X. 2.
72	pag. [illegible]	ZACH. X. 4—6_2.
	„ [illegible]	AMOS I. 13_2—II. 1_2.
73	pag. [illegible]	AMOS I. 9—11.
	„ [illegible]	IOEL I. 7_2—11_2.

TABVLA		TEXTVS
74	pag. 146.	IOEL I. 1—4_2.
	„ 147.	AMOS III. 15_2—IV. 2_2.
75	pag. 148.	AMOS III. 10—12_2.
	„ 149.	AMOS III. 12_2—15.
76	pag. 150.	AMOS IV. 2_2—5.
	„ 151.	IOEL I. 5—7_2.
77	pag. 152.	IOEL I. 12—14.
	„ 153.	AMOS I. 6—8_2.
78	pag. 154.	AMOS I. 11—13_2.
	„ 155.	OSEE XIII. 2_2—5.
79	pag. 156.	OSEE XIII. 10—14.
	„ 157.	OSEE XIII. 14—XIV. 1_2.
80	pag. 158.	OSEE XIII. 6—10.
	„ 159.	OSEE IX. 1—4_2.
81	pag. 160.	OSEE VIII. 9—13.
	„ 161.	Non rescripta.
82	pag. 162.	Non rescripta.
	„ 163.	DAN. XII. 5—7_2.
83	pag. 164.	DAN. XII. 10—13_2.
	„ 165.	DAN. XIII. 3—7.
84	pag. 166.	DAN. XIII. 11—15_2.
